

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4938

Auteur(s) : Guillaume Maupin, de Sotteville [particulier]

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1269, octobre

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume Maupin vend aux religieux de Bonport trois vergées de terre à Sotteville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCLXXIII, p. 279-280.

Texte établi d'après a

Sciant omnes, tam presentes quam futuri, quod ego Guillelmus Maupin, de parrochia de Sotevilla juxta Pontem Arche, vendidi et concessi et omnino reliqui abbati et conventui Boni Portus, ad usus porte eorumdem, tres virgatas terre, quas habebam in dicta parrochia de Sotevilla, sitas inter terram Petri Clerici, ex una parte, et terram Johannis Forestarii, ex altera, aboutantes ad cheminum domini regis, ex una parte, et pratum Sancti Audoeni, ex alia : tenendas et habendas tres dictas virgatas terre dictis monachis, libere, quiete et pacifice, absque mei vel heredum meorum de cetero reclamacione, salvo jure domini capitalis. Et licebit dictis religiosis de dictis tribus virgatis terre suam penitus, tanquam de suo proprio, facere voluntatem. Et tenemur, tam ego dictus Guillelmus quam mei heredes, dictas tres virgatas terre contra omnes garantizare, vel alibi, si necesse fuerit, ad usus et consuetudines Normannie, in proprio hereditagio nostro, ubicumque sit, valore ad valorem excambiare. Processu vero temporis, si contigeret predictos religiosos super premissis in aliquo disturbari, vel dampnum aliquid incurrere, ego dictus G. et mei heredes omnia dampna et deperdita que occasione dicte venditionis sustinerent, teneremur ad dictum ipsorum ad plenum restaurare et indempnes penitus observare. Pro hac autem venditione et concessione dederunt michi dicti monachi pre manibus sexaginta quindecim solidos turonensium, de quibus teneo me pro pagato. Et ut hoc firmum et inconcussum in posterum perseveret, presentem paginam sigilli mei caractere roboravi.

Actum anno Domini M° CC° sexagesimo nono, mense octobris.

Testibus hiis : Domino Johanne, tunc temporis de Sotevilla presbitero ; Roberto Hugone ; Symone Hugone ; Guillermo Anglico, et pluribus aliis.